



PARS ista Africæ quam representamus veteribus Geographis Græcis Latinisq; incognita fuit. Initium eius est à Zaire fluvio non longè ab Æquatore, complectiturq; reliquâ Africæ partem usque ad xxxv. gradus ultra Tropicum Capricorni. Dividitur in quinque partes, Terram *AIANA*, *Zanguebar*, *Benematapa*, *Casiam* regionē & regnum *Manicam*. Terra *AIANA* a maris Erythræi angustijs extenditur ad fluvium usq; *Quilimancis*: regna in eo duo sunt, *Del* & *Aica*. Illud a freto quod dixi ad promontorium Guardafu extenditur, quod Ptolemæo est *Aromata*. Urbes habet præcipuas *Zulam* & *Barbamam*; ad hanc naves mercibus onustæ ex *Aden* facili traiectu veniunt, quemadmodum etiam ex regno *Cambaizæ*. Sequitur in litore Occidentem versus, regnū *MAGADOXUM*, cui nomen ab urbe primaria, regio fertilis, portuosa, amena. *ZANGIBARA* fluvio *Quilimanci* ad *Benopotamam* usq; porrigitur, estq; regio humilis, paludosa, nemoribus & silvis confita. Incolæ nigri, capillitio crispo, ingenio superstitioso, ad veneficia & auguria dedito. Regna habet *Melinda*, *Mombazæ*, *Quiloa*, *Mozambique*. *Melinda* urbem habet sui nominis, ad litus, loco opportuno, recipitq; naves *Cambaicenses*. Incolitur a Mauris, qui *Portugallensium* amici sunt: oves hic sunt maximæ, quarum caudæ sæpè xxi. sæpè etiam xxx. libras pendunt. *Mombazæ* & *Melinda* urbe abest lxx. miliaribus, urbem habet in insula. *Quiloa* etiam in insula sita est: Capta fuit a *Portugallensibus*, quibus etiam nunc tributum annuum pendit 40. marcarum auri. *Mozambique*, regio littoralis, Insulam habet ex aduerso sitam, intervallo dimidij miliaris, curvo vix continens litore, de qua in proxima descriptione. *Manicam* regnum mediterraneū est, tangitq; orientali parte regna *Mombazæ* & *Quiloæ*. In hoc regno metalla sunt auri præstantissima: incolæ tamen moneta non utuntur, sed eius loco globulos habent rubecos vitro similes: ad hoc regnum pertinet *Agag*. *COFALA* regnum exiguum est & maritimum, inter *Cuama* fluvium, & montem *Manicam*.